



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

De Animalibus quadrupedibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Pueri & scholares Præceptores suos qui eis sunt duces vitæ ac morum, libenter sequantur, illisque in omnibus prompto animo obediant aliquid præcipientibus. Apis est animal sobrium ac castum. Sobrietas ac castitas in signe sunt ornamentum juventutis. Hinc Apost. Tit. 2. *Juvenes hortare ut sobrii sint.* Sobrietas acuit ingenium, & gignit subtilem sensum; & è contrà, pingvis venter non gignit tenuem & subtilem sensum. Ut ergò juvenes felicem in studiis faciant progressum, sobrii sint. Castitas quoque eos maximè decet, nam ut Horat. *Qui studet operam cursu contingere metam. Abstineat Venere & Baccho.* Denique Apes gaudent alveari suo libentissimè que illud ingrediuntur. Ita pueri & studiosi frequenter intrent Ecclesiam deprecaturi DEUM pro felici studiorum successu, & invocaturi gratiam Spiritus S. Nam non minùs aliquando orando quàm studendo & laborando in eruditione proficitur, ut D. Thomæ, Bernardo, Bonaventuræ contigisse legimus.

S T R E N A VII.

De Animalibus Quadrupedibus.

Daturus nunc sum omnibus & singulis statibus pro Strena Christum D. sub diversis animalibus consideratum & figuratum in Scriptura.

Sacerdotibus ergo do Christum tanquam *Cervum*. Comparatur enim Cant. 2. *hinnulo cervorum. Similis esto dilectæ mi capræ, hinnuloq; cervorum.* Diversa in Cervis considerantur, quæ Christo ejusque Sacerdotibus conveniunt. 1. Christus mirabiliter salit. Salit è sinu Patris in sinum Virginis, è sinu Virginis in terram, è terra in crucem, è cruce in sepulchrum, & infernum. Hinc Cant. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Transilient etiam Sacerdotes foveas peccatorum, lapides offensionum.

bonum, impedimenta virtutum, non sint infixi in limo profun-
 di Ps. 65. nec in sœcibus vitiorum, studeant se extricare sordibus
 & inquinamentis hujus sœculi. Dicant cum Propheta Ps. 7. *In Deo*
meo transgrediar murum. 2. Cervus faciliè cicurari potest, reddi
 mitis, placidus est & simplex. Talis fuit mysticus cervus Christus
 D. Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Talem
 etiam oportet esse Sacerdotem & Episcopum testante Paulo
 Tit. 1. *Oportet Episcopum esse hospitalem, benignum, &c.* Sed licet
 cervus sit animal innocens, bellum tamen gerit cum serpenti-
 bus teste Plin. lib. 8. cap. 32. *Est iis cum serpente pugna, inveltigant*
cavernas, nariumq; spiritu extrahunt venientes. Ita Chri-
 stus pugnam inivit cum serpente infernali, adeòque diabolis in-
 vitus fuit, ut ejus præsentiam ferre non potuerint. Clamabant
 enim Marc. 1. Luc. 4. *Quid nobis & tibi Jesu Nazarens, venisti an-*
te tempus, perdere nos? Extraxit eos quoque ex cavernis corpo-
 rum & animarum ejiciendo, scilicet ex corporibus obsessorum.
 Sic & Sacerdotum est pugnare cum antiquo serpente ut acci-
 piant regnum æternum. Sint capitales inimici spirituum infer-
 nalium. Extrahant eos cum facultate Superiorum ab energu-
 mentis & catechumenis spiritu oris sui, dum exorcisant & ba-
 ptisant. *In nomine meo* inquit Christus Marc. ult. *damonia ejici-*
ent, serpentes tollent. 3. Cervus velox est in cursu & saltu, unde
 Isaia 35. *Tunc saliet sicut cervus claudus.* Christus etiam velox
 fuit in cursu & saltu suo, quia Ps. 18. *Exultavit ut gygas ad curren-*
dum viam suam. Estote & vos DEI Sacerdotes veloces in cursu
 vestro, & sicurrite ut comprehendatis 1. Cor. 9. Dicite cum Pro-
 pheta Ps. 17. *Perfice gressus meos tanquam cervorum,* nimirum ad
 transilivenda spinosa hujus sœculi. Dicite rursum cum eodem
 Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurricum dilatasti cor meum.* De
 Petro & Joanne scriptum est, Joan. 20. *Currebant a utem duo si-*
mul ad monumentum & ille alius discipulus quem amabat Jesus præ-
cucurrit citius Petro. Sic & vos in spiritali stadio certatim cur-
 rite,

rite,

rite, ut dicere liceat cum Apostolo 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, &c.* 4. Cervus juxta fontes libenter versatur Pl. 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Ita & mysticus Cervus noster juxta fontem invenitur, ibique sedet & requiescit. Dicit enim Scriptura Joan. 4. *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Imò & ipse fons est Jerem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Estote & vos Sacerdotes mystici cervi, quærite fontem gratiæ, fontem Scripturarum. Anhelate ad DEum fontem vivum & dicite cum Propheta Pl. 41. *Sitivit anima mea ad te DEum fontem vivum, quando veniam &c.* 5. Cervus tuectur se cornibus. Cornua sunt verba DEI. His etiam se tuebatur mysticus Cervus Christus, cum tentaretur & oppugnaretur à Diabolo. Matth. 4. *Scriptum est, non tentabis D. DEum tuum. Scriptum est &c.* Et vos Sacerdotes cornibus utriusque testamenti defendite vos & populum Christianum contra impugnatores fidei. Abacuc 3. *Sint hæc cornua in manibus vestris.* Dicite cum Propheta Regio Pl. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* 6. Cervi libenter in montibus versantur. Hinc Pl. 103. *Montes excelsi cervi.* Christus etiam montibus gaudebat. Matth. 14. *Ascendit in montem orare solus,* Matth. 17. *Assumpsit Jacobum Petrum & Joannem, & duxit eos in montem excelsum, &c.* Et Luc. 22. *Ibat secundum consuetudinem in montem.* Et vos Sacerdotes amate montes, & dicite cum Propheta Pl. 120. *Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi.* Coloss. 3. *Quæ sursum sunt sapite,* sic Philip. 3. *Conversatio vestra in cælis.* Denique de cervis scribit Plin. *Quòd aquam tranantes se invicem mirè juvent. Maria tranant gregatim nantes, porrecto ordine & capita imponentes precedentium clunibus, vicibusq; ad terga redeuntes.* Ita Christus onera nostra, id est, peccata, quæ, Pl. 37. *Sicut onus grave gravata erant super nos, portavit in corpore suo, & in humeris suis.* Isai. 53. *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros*

dolores nostros ipse portavit, Et vos Sacerdotes alter alterius onera portate, ut adimpleatis legem Christi, Vos, Gal. 5. infirmos in fide suscipite, & si praecipuus fuerit quis in delicto, vos qui spirituales estis, ejusmodi instruite in spiritu lenitatis &c. Vestrum est in vinea Domini laborare & portare pondus diei & aestus.

Reforibus Reipubl. de Christum Leonem. Christus enim frequenter Leoni comparatur, Gen. 49. *Catulus Leonis Juda requiescens, accubuit ut Leo &c.* Apoc. 5. *Vicit Leo de Tribu Juda.* Osee 11. *Quasi Leo rugiet.* In primis Leo à fortitudine commendatur. Prov. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.* Christo inter varia nomina tribuitur hoc nomen *Fortis* Ilaia 9. Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum.* Et vos Judices virtute vestra irrumpe iniquitates, nec cedatis tracti metu, nec Eccli. 7. *Honoretis in iudicio vultum Potentis, ne sitis Act. 5.* personarum acceptatores, quia non est personarum acceptio apud Deum. Ne sitis de numero eorum de quibus Michea 3. *Principes ejus in muneribus iudicabant.* 2. Leo dicitur dormire apertis oculis, & mysticus noster Leo quodammodo apertis oculis dormivit, ut dicere potuerit, Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Habeatis semper oculos coniectos in populum cui praestis licet aliis rebus intenti, nam & in vobis locum habere putandum est illud Hebr. 13. *Ipsi pervigilant pro vobis, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Vestrum etiam est de nocte aliis dormientibus, illustrare vicos & plateas, ut videatis quid agatur, nullae sint insidiae, non turberet publica quies &c. & impedire quaevis mala. 3. Excurrit leo ad praedam. Sic de mystico nostro Leone dicitur Gen. 49. *Ad praedam ascendisti Fili mi.* Praedam enim abstulit ex inferno seu lybo, unde *captivam duxit captivitatem.* Ephes. 4. Et vos o Judices & Praefecti ascendite ad praedam, id est, impedita peccata, ne propter illa populus ad infernum descendat; liberate & eripite injuste oppressos, id est, viduas, pupillos, &c.

T

Fecit

Fecit hoc Daniel cap. 3. qui Susannam injustè damnatam liberavit. 4. Leo dicitur clemens esse in supplices juxta illud Poë. 22. *Parcere subjectis scit nobilis ira Leonis. In sibi prostratos se negat esse ferum.* Ita Christus pepercit supplicibus, ut patet in sermo debente decem millia talenta. Matth. 18. Nam procidentem donavit omne debitum. Estote igitur & vos Rectores clementes in supplices, ad procidentes. Sit rigor justitiæ temperatus clementiâ & lenitate. Utimini vino, & oleo curandis hominum vulneribus Luc. 10. Sit Elias vobis à dextris, Moyses à sinistris.

Virginibus do Christum ut *Unicornem* cui ille comparatur. Unicornis in primis dicitur venerari puellas Virgines, & per ea mansueti fieri, & sine earum capi. Christus est mysticus Unicornis, est enim amator castarum virginum, & suavis fragrantia Virginalis puritatis illexit hunc unicornem in Virginis Mariæ sinum & uterum. Estote & vos Virgines Unicornis, & virginali castitate, sic amate ut non tantum corpore, sed spiritu castæ sitis. Unicornis est solitudinis amator teste D. Basil. serm. 2. in Pl. 28. Ita mysticus Unicornis noster Christus in solitudine seu deserto libenter versatus est, ibique jejunans 40. diebus & 40. noctibus Matth. 4. Ament & Virgines solitudinem, dicantq; cum D. Hieron. l. 2. ep. 13. *Mihi oppidum carcer, & solitudo par aditus est.* Dicant cum Pl. 45. *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Similes fiant pellicano solitudinis & fiant sicut *nycticores* in domicilio, & sicut passeris solitarii in tecto. Pl. 101. Maneant cum B. Virgine in conclavi, & orent in abscondito. 3. Unicornis est animal insuperabile, teste D. Basil. serm. 2. in Pl. 28. & vix aliter quàm per Virginem capitur. Christus etiam invictus est, & non potuit capi nisi à Virgine. Virgines quoq; decet fortitudo, ut illibatam servent castitatem & puritatem. *Grandis enim virtus est & sollicitudo diligentie super are quod nata sunt,* ait D. Hieron. ad Furiam. 4. Unicornis dicitur ex indignatione & tristitia mori si vincitur deri-

neatur,

reatur, Christi anima tristis fuit ad mortem dum à Judæis in hor-
to caperetur, ibique Patrem oraret, ut si possibile esset transiret
calix passionis & mortis Matth. 26. Multæ quoque castæ Virgines,
ut Thecla, Agnes, Lucia, Agatha, &c. mori maluerunt quàm ab
hominum amore capi, & inter eas quædam dixit. *Si me in viram
jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* S. Lucia in
Brev. Rom. 5. Unicornis cum ambulat, præcedit omnia anima-
lia, nec patitur quodquam præcedere. Christus Dominus in om-
nibus nos præcedit virtutibus, de eo quoque dixit Angelus
mulieribus Matth. 26. *Dicite Discipulis ejus & Petro, præcedet vos
in Galileam.* Virgines quoque sic vitæ sanctitate emineant, ut
turpe existiment se à quopiam virtute superari, contentur piâ
quâdam æmulatione omnes præcedere vitæ sanctimoniâ, sem-
per esturiant & sicciant justitiam, eant de virtute in virtutem, *que
retro sunt obliviscentes.* &c. Philip. 3. 6. Unicornis juxta nomen-
claturam unicum habet cornu, & Christus D. licet duas habue-
rit naturas, humanam & divinam, una tamen est persona, & u-
nam cum Patre communem habet Divinitatem juxta illud Jo-
an. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Unicorines sint Virgines quasi *uni
viro* respondit Apostolus *virginem castam exhibere* Christo. 2.
Cor. 11. Clament sæpè cum Psal. 21. *Erue à framea DEus ani-
mam meam, & de manu canis unicam meam.* Unum petant
à Domino & hunc sæpè requirant *ut inhabitent in domo
Domini omnibus diebus vitæ suæ* Pl. 26. 7. Unicornis priusquàm
bibat, cornu intingit in aquas, & ejusdem contactu dicitur
fugare venena, præbetque salubrem virtutem contra omne
venenum. Et mysticus noster Unicornis Christus, intinxit cor-
nu in aquas Jordanis Matth. 9. quando baptisari voluit à Jo-
anne, & tribuit aquis virtutem purgandi, sanandi, regenerandi, &
pepulit omne venenum, & contagium peccati originalis aquâ
baptismali Casta quoque virgo pellit omne venenû peccati mor-
tiferi virtute cornu, scil. virtute crucis, ubi *abscondita est fortitu-
do eius.*

do ejus. Abacuc. Virtute hujus cornuS, Joannes qui semper Virgo mansit legitur venenum extraxisse quod illi fuit propinatum.

Viduis do Christum ut *Arietem*. Christus per *Arietem* ab Abraham immolatum significatur, & ad pabula ducit. Ita mysticus *Aries* Christus D. ducit nos, vocat, & invitat ad pabulum pretiosi corporis sui Matth. 26. *Accipite & manducate* &c. Et Prov. 9. *Sapientia edificavit sibi domum* &c. Sic & vestrum est *Vidui* & *Vidua* præcedere juniores ad pabulum carpendum spirituale, ad conciones aliaq; officia divina, ut in bonis operibus testimonium habeatis, sicut D. Paulus in *Viduis* requirit 1. Tim. 5. Ducat ergo juniores, ad Ecclesiam, ad preces, ad usum Sacramentorum &c. &c. 2. Iterum *Arietes* præcedunt oves ad caules, ad stabulum, ad quietem & somnum. Christus præcessit nos ad veram requiem. *Vado parare vobis locum* Joan. 4. &c. *Vado ad eum qui me misit* Joan. 15. Et expedit vobis ut ego vadam. Sic & *Viduarum* est ducere Juniores ad stabulum Ecclesiæ, ad domum DEI, & invitare illos ad locum illum ubi aliquando *requiescent à laboribus suis* Apoc. 14. 3. *Aries* Abrahami cornibus hærebat inter vepres Gen. 22. *Spinis* Christus coronatus mortuus est. Matth. 27. & vos *Vidua* sic inter spinas & tribulos molestiarum & tribulationum hæretis, ut aliquando mortem potius exoptetis quam vitam, tot difficultatibus & incommodis agitamini, tot puncturis laceramini, ut à morte aliquando non procul absitis. Sed imitari debetis Christum *Arietem* mysticum, qui inter spinas non murmuravit, non spinam coronam excussit, nec de Cruce descendit, sed patienter omnia toleravit donec spiritum exhalaret. Ita & vos contra omnes hujus mundi adversitates patientiâ ac tolerantiâ coronemini. 4. *Aries* ille Abrahami oblatus est in holocaustum. Christus D. oblat⁹ est in ara crucis salutaris. *Vidua*, obsecro vos per misericordiam DEI ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Roman. 12. Mactate omnes carnales affectus,

fectus, & mortificate membra vestra qua sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam Coloss. 3.

Conjugatis do Christum ut *Leenam*; Sicut enim Reſtori- bus civitatis dedi Leonem, ita Conjugatis qui sunt Reſtores familiarum dare licet. Comparatur Christus non tantum Leoni sed & *Leanae* à S. Jacob Patriarcha. *Requiescens accubuit ut Leo, & quasi Leana, quis suscitabit eum?* *Leanam* imprimis scribit Plin. lib. 8. cap. 15. dolis carere & suspicione, convenit hoc Christo, in cuius ore non est inventus dolus. 1. Petr. 2. Hoc est Conjugatis curandum ut vivant sine dolo ac fraude. *Nolite fraudare invicem*, ait Apost. 1. Cor. 7. *Nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi*. Vivant etiam sine suspicione ac zelotypia. Ubi enim vir suspectam habet uxorem, & uxor virum, ibi non requiescit vera pax, sed domus plena est jurgiis. 2. Scribit idem Plin. loc. cit. *Leones & Leanas non intueri limis oculis, & simili modo aspici nolle*. Christus D. ne quidem pauperes limis aspicit oculis nec dedignatur eos. Pl. 10. *Oculi ejus in pauperes respiciunt, & palpebrae ejus interrogant filios hominum*. Non intueantur etiam se invicem limis oculis sed rectis, placidis, benignis. 3. Dormientis *Leanae* oculi suffulgent teste Plinio. De Christo D. dicit Johannes Apo. 16. *Oculi ejus sicut flamma ignis*. O Conjuges, dormite apertis, quod ajunt, oculis, quia magnus thesaurus vobis commissus est, salus nimirum vestrorum liberorum. Erit enim anima vestra pro animabus eorum. Observate diligenter mores eorum, an de nocte non currant ad loca inhonesta, frequenter ea ponas intrent, lusibus & potibus vacent, &c. Si quae haec deprehendatis vitia, corrigite, & deinceps illos educate in disciplina & correptione Domini, ut Apost. salubriter monet Ephes. 6. 4. *Leana* pro catulis dimicat, ait idem Plin. & hoc cum facit, oculorum aciem fertur defigere in terram. Et Christus *Leanae* instar pro nobis tanquam catulis suis dimicavit demissis etiam

oculis, quando *inclinato capite in Cruce tradidit spiritum* Joan. 19. Et vobis ô Parentes & Coniuges dimicandum est pro liberis vestris, magus Venator jam emissus est, qui vestros molitur auferre & eripere catulos. Defendite eos, liberate eos ex faucibus ejus antequam exportentur in barathrum infernale. Testatur D. Greg. 4. Dial. 18. Filium quinquennem jurantem & blasphemantem, nec à Patre correctum, è sinu ejus à venatore diabolo abreptum. Deniq; refert Origenes serm. 17. in Gen. 49. Catulum Leænæ editum in lucem triduo dormire, & tum parentis rugitu suscitari. Hoc pulchrè convenit Christo, qui triduo in sepulchro dormivit, sed eum Pater suscitavit à mortuis. *Ego dormivi & soporatus sum & exurrexi quoniam Dominus suscepit me.* Pl. 3. Parentes tempus est ut rugiat, ut dicatis cum Pl. *Rugiebam à gemitu cordis mei*, ut hoc modo excitentur catuli vestri; nam dormiunt somnum vitiorum, & obliviscuntur DEI Creatoris sui. Dicite ergo cum Apost. Ephes. 5. *Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* O Christe suscita eos, qui suscitasti filium Civitatis Naim. *Adolescens inquitens, tibi dico surge* Luc. 7.

Juvenibus & Pueris de Christum Agnellum. Christus enim significatur per Agnum Paschalem, de quo sic scriptum Exod. 12. *Erit agnus sine macula, masculus anniculus.* Tales agnellos & vos opto esse sine macula, absque nota infamiae, absque peccato turpi, siquidem macula peccatum est. Macula inobedientia, petulantia, ebrietas, turpiloquium, scurrilitas, &c. Fuit agnus ille masculus, quo significatur fortitudo: nihil foemineam, nihil molle, nihil fluxum Christus admisit. Tales sint adolescentes, nihil in moribus habeant dissolutum. Imitentur juniorem Tobiam de quo sic testatur Scriptura Tob. 1. *Cum esset junior in omni tribu Nephtali nihil tamen puerile gessit in opere, cum omnes irent ad vitulos aureos quos Jeroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortium omnium, & pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat ad D. DEum Israël.* Imitentur & Saram ita de se loquentem Tob. 3. *Nunquam eum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulabant, participem me prebui.* 2. Agnelli matrem agnoscunt etiam
in

in numeroſo grege. Agnovit & Chriſtus matrem, eiſque in omnibus obtemperavit, ac tantum illi detulit, ut in ejus honorem tempus faciendi miracula prævenerit cùm aquam converteret in vinum. Agnovit Matrem in cruce cùm diceret. *Mulier ecce Filius tuus.* Joan. 19. O Juvenes & Filii agnoſcite Parentes veſtros, audite quàm ſalubriter Tobias monuerit filium ſuum Tob. 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.* Nolite contriſtare Parentes veſtros, ſed eos probitate vitæ potiùs exhilarate. *Filius enim ſapiens lætificat Patrem, filius verò ſtultus moeſtitia eſt Matri ſuæ.* Prov. 10. *Stultus homo deſpicit Matrem ſuam.* Et iterum Prov. 30. *Oculum qui ſubannat Patrem, & qui deſpicit partem Matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* 3. Agnelli maternis uberibus contenti ſunt et ſi perparum habeant ſucci, præteritis aliarum ovium uberibus lacte diſſentis, unde è ſtabulis exiliunt ſinguli quærentes matrem ſuam, & ubera illius ſugentes. Quo docemur non deſpiciendos eſſe Parentes, licet tenuis ſint conditionis, licet ignobiles, licet humiles. Non puduit Chriſtum Matris ſuæ licet pauperculæ, & Fabro deſponſaræ. Dicit Chriſtus Salvator Luc. 9. *Qui me erubuerit, &c.* Et Matth. 10. *Omnis qui conſitebitur me coram hominibus &c.* Ad eundem modum erubeſcet Chriſtus illos, qui hic erubeſcunt Parentes pauperculos, & negabit eos, qui hic Parentes ſuos negant. Agnoſcant ergò filii Parentes, & rurfum Parentes filios. Oves enim agnoſcunt & diſcernunt proprium foetum ab alieno inditâ quâdam naturæ vi, licet plurimi ſint agni ejuſdem coloris, vocis, ætatis, magnitudinis. Exhibeant Parentes liberis ſuis Paternum & Maternum affectum, & vicifim ab eis debito modo amentur & honorentur, ne tradant Matres filios alienis alendos, ſed ipſæ ſint Matres & nutrices, ut maternum cum lacte filii imbibant affectum. Deniq; agnus eſt animal utile. Quidquid enim ab agno & ove provenit, deſervit humanis uſibus. Myſticus Agnus Chriſtus fuit nobis per omnia utilis, in vita, in morte, poſt mortem: in verbis, in operibus, in exemplis: & omnis ejus actio noſtra eſt inſtructio. Sint & juvenes, non ut telluris inutile pondus, non ut arboreſ in fructiferæ, quæ fruſtra terram occupant. Sed ut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo. Pl. 1. Sint repleti fructu juſtitie per Jeſum Chriſtum in laudem & gloriam Dei. Philip. 1. S. Juvenes & Filii has conditiones habebunt, ſtabunt cum agnis & ovibus à dextris

à dextris Judicis, & audient illam optatam vocem Matth. 25. Venite benedicti Patris mei.

Servis & Ancillis do Christum Capreolum. Christus enim in Scriptura comparatur Capræ cant. 2. *similis est dilectus meus caprea,* &c. Caprea in primis est acuti visus. Mytica Caprea Christus habet oculos sole lucidiores, qui in omni loco contemplantur bonos, & malos Prov. 15. *Nihil inscrutabile relinquit oculus ejus.* D. Bern. inquit term. 55. in Cant. *Tu qui adventum desideras Salvatoris time scrutinium Judicis, time oculos capræ, time illum, qui per Sophoniam cap. 1. dicit. Et erit in die illa, & ego scrutabor Jerusalem in lucernis. Acuto visu est, scrutabitur renes & corda. Eltoce servi acuti visus. Sint oculi vestri in manibus Dominorum vestrorum Pl. 122. Attendite & videte quid præcipiatur, quid inhibeat. Videte ut obedatis Dominis carnalibus cum timore & tremore cordis vestri. Eph. 6. 2. Capreoli veloces sunt, Christy velox est in operibus misericordiæ. Servos oportet esse & veloces agiles ad explenda jussa Dominorum. In cunctis operibus tuis esto velox. Eccli. 32. Si aliquò mittantur, non diu hæreant in via, non perdant tempus, non tractent alia; sed expeditè absolvât opera injuncta, tunc diligenter ab heris & in pretio habebuntur, juxta illud Eccli. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi &c.* Tertiò Capreoli fugientes convertunt sæpè oculos ad inlequentes. Christus D. etsi videatur à nobis aliquando fugere, tamen in manibus suis deservit nos, & muri nostri coram oculis nostris semper Isai. 49. *Respicit enim super iniqua agentes,* Et vos servi qui aliquando à Dominis vestris fugitis (*Si enim laferis servum injustè, in fugam convertetur. Eccl. 33. Et hodie increverunt servi qui fugiunt Dominos suos dicebat Nabal pueris David I. Reg. 25.*) Respiscite & redite ad Dominos vestros. Sic fecit Onesimus qui fugerat à Domino suo Philemone ad quem D. Paulus epistolam scripsit, & hunc servum remittit pro eo obsecrans. Sic & Filius prodigus, servus inutilis, redit ad domum Paternam, in qua sciebat mercenarios abundare panibus, cum ipse fame periret in regione longinqua Luc. 25. *Malus namque mos est servorum ait D. Chrysost. hom. 38. in I. 6. Genes. Quia non permittitur eis more suo uti, & impediuntur eorum conatus, statim, Dominorum ruptis froenis, fugam capeffere &c.**

